

ABBATIS PANHAUSEN

Tractatus de Monasticae Vitae Cultoribus, atque Religiosorum

**Votis et quam potissimum ob causam haec religio instituta,
et unde suam originem traxerit contra id Iohannis 1,
cap. 2 : Omne quicquid est in mundo, concupiscentia carnis, etc.
(Ms. Averbode, IV, 330 244a-266a)**

[p. 244a] Mundum in maligno positum esse ex D. Ioannis Apostoli monumentis compertum habemus (I Iohan. 5), oculis intuemur, manibus tractamus, et experientia quotidiana nos certo certius edocet. Quocumque enim nos verterimus, offerunt sese quae nos ab innocentia vitae avertunt, ad malum pelliciunt atque protrudunt. Sed ne demus somnum oculis nostris et palpebris dormitationem, nec temporibus nostris requiem, donec inveniamus locum Domino tabernaculum Deo Iacob. A flagitiis non aliter quam a morte ipsa cavemus. Servemus non ipsos, ne quid habeamus commercii cum Diabolo et mundo. Quicquid recedit a summa iustitia, peccatum est : peccatorum vero multa sunt genera et discrimina.

Peccatorum diversa genera.

Sunt crimina capitulia, itidem et venialia. Absit qui semel abdicaverunt mundum, seque Deo addixerunt, revolvantur in capitale crimen aliquod, leviora vero peccata ab hominibus vix vitari possunt. Quamquam nulla est culpa tam levis, ut sit negligenda. Nam si leve etiam peccatum sit, non tamen nullum leve, quippe comparatione gravioris dicitur, atque haud scio an leve contra divina praecepta admissum, animam interemit, aeternisque tradat incendiis. Visu et gustatu nihil videtur esse levius aut inanius. Verumtamen ille primus generis nostri parens, in sublime constitutus paradisi sede, quia vetita gustavit, in haec ima detrusus, seque et posteritati totum magis incommodis affecit. Uxor veto Loth, quia respexit unde vertebatur, versa est in salis statuam. Non igitur ponderandum est, quantum sit quod precipitur, quam quantus [244] sit qui praecipit, et ita intelligitur praecep-

tum nullum, quamvis nimium neglectum habendum. Risus immodice effusus, leve esse delictum videtur, sed ab immoderato risu pervenitur ad scurrilitatem, a scurrilitate ad detractionem, a detractione ad convitium, a convitio ad graviora, quae humanis etiam legibus atrocius puniuntur. Fugiendum est piis quicquid peccatum est, ne neglectum paulatim pertrahat ad mortem. Pristinas cupiditates, sic obstupescamus, ut illis mortui videamur, neque committamus ut membra nostra, iam Christo consecrata, posthac militent Diaboli arbitrio, mundo et pompis eius patranda iniquitatem, quin potius nos totos tales praestare curemus, ut ex omni vita nostra perspicuum sit, nos una cum Christo reliquisse quae mortis sunt, et ad novam vitam translatos esse.

Mundi maligni descriptio.

Dic quaeso, quid habet hic mundus quod non sit exitiale? Qua in civitate, qua in gente videas pudori, prohibitati, rectis artibus, relictum esse locum? Nonne ambitio, scelera, fraudes atque doli virtutum praemia occuparunt? Audi D. Iohannem in sua canonica loquentem: Tria sunt, inquit, quibus potissimum hic mundus incautis et stultis hominibus imponit. Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae. Certe pestes nocentissimae filii perditionis, proles Sathanae, et Cacodaemonum liberi. Obiicit enim mundus praestigias quasdam inanum voluptatum, quibus ad tempus corporis sensus demulceat, ut interim animus a coelestium bonorum studio avocetur. Sed qui amat mundum excidit a charitate patris. Non hunc mundum dico, cuius opifex est Deus, in quo velimus, nolimus vivimus, sed improbas cupiditates rerum malarum, in quibus humanum vulgus foelicitatem constituit. Non locus, sed animus purus a pravis cupiditatibus e mundo nos excipit; quid enim prodest relinquere mundum, et vastum haeremum incolere, quando in nobis Tyrannico dominatu malitia regnat, ira, invidia, odium [p. 245a], superbia atque id genus reliqua principatum obtinent, et humanus oculus maiorem nobis metum incutit quam divinus, loci tamen ratio, ob varias et multiplices causas habenda est. Sic enim inquit Dominus per Prophetam (Is. 26): Vade populus meus, intra in cubiculum tuum, claude ostia super te, abscondere ad momentum, donec pertranseat indignatio mea. Ecce Dominus egreditur, ut visitet iniquitatem habitatoris terrae. Itemque Dominus in Evan-

gelio (Matth. 6) : Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum et clauso ostio ora patrem tuum in abscondito, et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Orare iubet in abscondito, reddet tibi. Orare iubet in abscondito, et ab illis qui impedire possunt separato loco, ut mens a rerum fragilium cura sequestrata, tunc magis intenta sit coelestium contemplationi, cum coeli terreaeque regem lingua servi alloquitur. Privatae orationi semper magis apta est solitudo, nam ut Dominus noster, ut se nobis imitandi proponeret exemplum (Matt. 14), demissa turba ascendit in montem solus orare. Hac etiam de causa a suis discipulis, quandoque se submovit. Sic enim inquit. Sedete hic donec vadam illuc ut orem. In villa etiam Getzemani orasse legitur. Adhuc in Marco scriptum est, quod valde diluculo surgens, abiit in desertum locum et ibi orabat. Et in Luca habemus, quod noctibus exiens in monte Oliveti morabatur quodque pernoctabat in oratione. Humanae vitae cursus bipartito fine dicitur, aliis humana, aliis divina tractantibus, quarum unum in turba frequentiaque populorum, alterum solitudo prosequitur : Hinc David elegit abiectus esse in domo Dei sui, magis quam habitare in tabernaculo peccatorum. Locus igitur ab omni strepitu vacuus, si fieri potest offerendae Deo precationi eligendus, ut purior synceriorque offeratur, mundique irritamenta maiori cum fructu declinari possint. Dum enim oculus humanus a mundi huius caligine abductus fuerit, e mentibus hominum diversa fluxarum [245b] rerum fantasmata facilius excluduntur. Quibus postpositis vir bonus et prudens totum se Deo in obsequium servitutis transfert.

Monachorum origo.

Hac fiducia illecti quidam utriusque sexus hominem Deo amabilem fide ac pari pietatis studio accensi, reiecto retrorsum saeculo cum suis cupiditatibus, ornatu vano, delitiisque fallacibus, scabie quoque et colluvione morum et temporum reiecta in deserta et abdita loca, vastamque heremum inter nemora et arenas sese transluterunt. Hinc Monachi vel solitarii appellati, a Christo et eius discipulis originem ducentes, Christi de paupertate colenda consilium in animum revocarunt, quod sic habet. (Matt. 19) : Omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit. Et illud : Audi filia et vide et inclina aurem tuam, obli-

viscere populum tuum et domum patris tui (Psalm. 44)., et concupiscet rex speciem tuam. Quid si in saeculo duceret iustitia, pietas, fides, religio, castitas, continentia, liberalitas, fortitudo et undique virtutes, laudabile foret illum inhabitare, nunc vero effusis undique tenebris dominante late vitiorum turba, non prudenter tantum optima quaedam susceperunt, sed etiam haec quae sunt pessima ac prope deplorata diffugere. Monachatus praestat antiquitate ordinibus quibuscumque exemptis clericis. Hunc primum inter Christianos invenit necessitas fugiendi infidelium sevitiam, mox utilitas oblectatioque celebravit. Nihil enim animo puro contemplatione dulcius, contemplatione autem solitudo est comes vel nutrix potius. Philosophi antiqui confitentur sapientem, cui licet totam vitam in contemplatione ponere. Cecedebant veteres illa christianae pietatis studiosi, et in sylvis inter speluncas ferarum vitam agitabant, ut contemplationi liberius vacarent, nullo interpellanti, [246a] arbitrantes in turbis et hominum frequentia, Deum minus invenire posse. Multa enim in mundo hoc impediunt, multa revocant a sancto proposito, plura videre contingit vel audire quae lacescunt sensus ad spem improbae cupiditatis. Solitarii vero effecti, silentio humana transmittunt, nihil videntes, audientesve eorum quae in saeculo geruntur, fruuntur animi placidissima pace, quae ad maiestatis Dominum crucifixum eos deducere possit, cuius imaginem induunt, ubi se saeculo nundos mortuosque praebent. Omnis peccandi materia illis praerepta, in his quae ad sensus spectant, non foeminam vident, non pecuniam tractant, non litigant, non convivia inter illos audiuntur, non emunt, non vendunt, non locant, non conducunt, non permutant. Demum nemo illis quicquam exhibet negotii, nec ipsi alios facescunt, quod nisi turpium cogitationum molestia conflictentur, daemonum aestu excitata, nulla pugna maneret, quae manet tamen ut de inimicissimo et infestissimo hostium genere, iustissimum agant in patriam triumphum. Hic hostis potius contemnendus, quam formidandus, cuius omnis vis est in suadendo, qui vincere non potest nisi volentem. Vigilandum igitur, et acriter resistendum pravis daemonum suggestionibus, nam aberrant assidue et omnes tentant aditus, ut corrumpant, et e servis bonis, malos, et malis faciant deteriores. Non tamen inficias ierim, cum ibi quispiam maioribus effulget virtutibus, illum Diabulus acrius urgeat et impugnet. Non alia ratione convertit se contra Adam in paradyso constitutum, nisi quod illum multa dignitate vidit conspicuum. Attendat haec qui in culmine constituti [246b] aliis dignitate praefulgent. Nec tamen in hoc certa-

mine, quod adversus tantam, bestiam suscipitur, deest nobis Dei praesidium, imo post totum bellum conficit, contentus nos in pugna studii aliquid et laboris attulisse, ut habeat unde praemia tradat aptissima, perinde ac si nostra opera totum bellum fuisset confectum. Vult Deus nos repugnare diabolo, prompto ac sollicito animo, pro honore suo nostraque salute. Ipse deinceps illum eiecturus et fugaturus, et nos postremo veluti strenuos milites ad premia vocaturus, quemadmodum misericordiam suam semper cum patribus nostris exhibuit, et exhibere numquam cessabit. E quorum numero fuere Monachi devoti, virgines castae, et anachoretarum genus electum, qui monasticam vitam amplexi, qui tribus votis, castitatis, paupertatis et obedientiae sese voluntarie adstrinxerunt, et cum Dei gratia sedulo conati sunt Domino Deo reddere vota sua quae distinxerunt labia eorum. Neque horum vana existimatio est. Nam pro tribus mundi huius inquinamentis, de quibus supra, ex Ioannis canonica meminimus, videlicet carnis concupiscentia et voluptate, amplectentur eximiam castitatis virtutem, si concupiscentia oculorum et rerum fluxarum libidine cupidine, voluntariam paupertatem; si superbia vero et fastu vitae, humilem et promptam obedientiam. Qui enim castitatem mentis et corporis servat illibatam, hic a fornicationis et adulatorii vitio, reliquisque carnis cupidinibus, longe alienissimus est. Et hic vere castus est. Qui paupertatem semper voluntarie amplectitur, victu et vestitu contentus, is non anhelat in rem proximi, non in uxorem, non in liberos, neque familiam, neque aliquid eorum quae ipsius sunt. Huic cum avaritia, nihil [247a] commune est, nihil habet commercii cum oculorum concupiscentia, quae ob rerum diversarum cupidinem, avaritiae assimilatur. Qui vero humilis corde est, superiorum iussis et dictis paret, omnibus se facilem exhibet, neminem aspernatur, ex aequo omnes diligit, hic iam dudum cum superbiae malo divortium fecit, et vere obediens existimandus est. Hic primitivae Ecclesiae faciem videre, hic fontes illos agonistas legitime in agone certantes contemplare licebit, ut aeternae vitae bravium et coronam suscipiant. Sed haec lucta non carnalis est, neque armis carnalibus, sed spiritualibus certatur. Sic D. Paulus inquit : In carne ambulantes, non secundum carnem militamus. Nam arma nostra militiae sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, quibus consilia demolimur, et omnem celsitudinem, quae extollitur adversus cognitionem Dei; quasi dicat. Licet hoc mortali carne circumdati simus, non tamen militamus ductu carnis, sed spiritus Deique praesidiis, neque inermes su-

mus, robur enim nobis adest, ad coercendum hostes illos. Diabolum, carnem atque mundum, avaritiam, luxum et superbiam vitae. Nam arma nostrae militiae, quae spiritualis est, non sunt humano more, ferro aut chalybe valida, sed Dei afflatu potentia sunt, ad demolendum quicquid nobis adversi contigerit. His demolimur et subvertimus callida eorum consilia, technas et munitiones omnes, non nostra, sed Dei potentia et virtute.

His quoque virtutum insigniis religiosorum horum coetus in Domino Deo suo confortatus, demum potentia virtutis eius munitus tanquam strenuus miles induitur lorica fidei et [247b] armatura Dei atque alacriter ut gigas procedens ad currendam viam mandatorum Dei. Assumit secum fidelissimae sui itineris pedissequas, ieiunium et orationem, et ne quid desit praeveniunt et principes coniuncti psallentibus in medio iuenculorum tympanistriarum, qui bellum non exornent, et sua praesentia magnificum reddant, ut in potentia virtutis Dei caste et cum cordis hilaritate omnia fiant. Hoc enim nobis principes et iuenculae tympanistriae significare videntur. Hilarem enim datorem diligit Deus. Ieiunio et oratione opus est adversus mundi rectores tenebrarum harum et contra spiritualia nequitiae in coelestibus (Eph. 6). Est genus daemoniorum quod non eicitur nisi per ieiunium et orationem (Matt. 17).

Cum his nobis dimicandum est iugiter diebus ac noctibus. Circuit enim mundi huius non extremus propugnator Diabolus, tamquam leo rugiens, quaerens quem devoret, et sagittas suas ardentibus effecit, ut sagittet in obscuro rectos corde. Sed non est quod timeamus ab ipsius fraudibus, a timore nocturno, a sagitta volante in die a negotio perambulante in tenebris ab incursu et daemonio meridiano, modo ommum nostram spem et fiduciam in Deum collocemus. Ille enim est qui in ara crucis omnem Sathanae virtutem devicit. Ille nostrum refugium est et virtus, adiutor quoque in tribulationibus. Ille omnem tenebrosam hunc exercitum facile profligabit, non modo hostes qui cernuntur, verumtamen eos qui non videntur, tum die, tum nocte, armaturam quoque eius, arcum, scutum et gladium conteret atque confringet.

Mundi et Sathanae doli atque fraudes.

Sed iam ad mundi et Sathanae technas, fraudes et [248a] armaturam accedamus. Est enim ille mille artifex, nec facile uno clauditur

antro. Habet Satanas suum spiritum, per quam suggerit pertiniosum amorem rerum; neque praemium, iis quae se huic mundo devoverunt. Suggestit eduliorum ac potus cupidines, quae gulae palatoque blandiuntur, ut interim otii somnique dulcedinem, quo magis situ torpescat animus, silentio transeam. Nulla hic fiet de impudicis fabulis mentio, quibus aures delineat, variorum itidem spectaculorum generibus, quibus oculus oblectat. Denique nulla non parte mentes hominum a veris aeternisque bonis avocat ad inania simulachra. Horum cupiditate qui capitur, sciat se non incitari spiritu patris coelestis, sed spiritu diaboli et mundi huius nequissimi, qui praeter omnem controversiam in malo positus est. Quisquis amat mundum, excidit a charitate Dei patris (1 Ioh. 1), quum omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est et oculorum et superbia vitae, quae non est patre, sed ex mundo est.

De tribus mundi concupiscentiis.

His etiam tribus mundi concupiscentiis et cupidinibus, maximam infert monasticae vitae cultoribus molestiam. Suggestit non raro veneris mala, hic est, carnis concupiscentiam, quae stulta foedaque prurigine, membra corporis titillant. Suggestit et concupiscentiam oculorum, hoc est avaritiae venenum, bonorum pompas, ac divitiarum strepitus, ambitionis irritamenta, a quibus hominum corda ad illicita quaeque pertrahunt. Suggestit praeterea altum sapere, vitaeque superbiam, quae mater est et radix omnium malorum. Pestis humano generi nocentissima, et salutis aeternae parricidia. Hic laborat virtutum exercitus, et se murum opponit in die Domini pro Israhele. Hoc bellum perpetuum est inter mundum et eos qui se votis astrinxerunt monasticis, quae potissimum sunt castitas mentis et corporis, [248b] voluntaria paupertas et humilis obedientia.

Praelium istud sive bellum potius, ita enim antiqui vocabant, quod duabus partibus de victoria condendentibus dimicatur, arduum satis et praegnans est; sunt enim utrumque in hoc praelio ordines tres virtutum et vitiorum. Sed hic funiculus triplex difficile rumpitur. Et si quispiam praevaluerit adversus unum, duo resistant illi. Sed neque ob hanc molestiam deiciendus est animus. Ad mentem potius revocandum, quomodo patres nostri, infinitas mortis species perpessi sunt; attamen hostibus suis superiores evaserunt. Est quum in illis res nostrae adumbrantur, congruit ut eorum insequamur vestigia, ut

quemadmodum illi Dei benignitatem, in suo praelio perceperunt, ita et nos quoque sentiamus. Quemadmodum unus est omnium Deus, variaque beneficia omnibus affert, et petentibus misericordiam porrigit. Novit Dominus pios de tentatione eripere; fidelis enim est (2 Petr. 2), nec sinet nos eo prolabi, ut simus prorsus inferiores malis nos sollicitantibus, verum etiam si patietur incidere malorum quippiam, sic temperabit eventum ut possimus sufferre. David rex idem et propheta idipsum confirmans (Psalm. 4). In tribulatione, inquit, dilatasti mihi cor, hoc est, maiorem dolore consolationem mihi attulisti. Dicamus igitur et nos : Dominus mihi adiutor, et ego despiciam inimicos meos. Si enim universitatis Dominum adiutorem, hostium impetus minime nobis pertimiscendi, sed ab ipso opem nacti, stragem hostium quamprimum videbimus. Hae etiam virtutes consilia Evangelica noncupantur, eo quod a Domino ob eorum excellentiam magis consulantur, quam praecipiantur; et minime huc tendunt, ut anima ab inordinato rerum temporalium amore penitus exuta, sese totum in Deum transferat, et summum [249a] bonum illud puris oculis contemplando, Dei voluntas per omnia adimplere studeat. Maximopere necessarium foret, ut qui se hisce votis adstrinxerunt, ad omnem diaboli incursum, arma semper in promptu habeant exquisitissima, quibus insultantis hostis, aut fragant impetum, aut tela deorqueant.

De fide et eius armatura.

Imprimis et ante omnia, fidei scuto opus est, quo se muniant, ut nihil promissis divinis diffidant, sed firmissime credant quaecumque Deus promisit, potest est et facere. Quicquid ingruerit terribilium; hoc scuto excipiant. Quicquid ignitorum iaculorum, hoc est, carnalium desideriorum, versutus ille hostis in eos torserit, hoc arcu castitatis repellant, et si carnis concupiscentia, castitatem opponant, nec sinant ullum telum Sathanæ vitalia penetrare, praecingant lumbos animi, quo semper erecti stent et immobiles, habentes lucernas ardentes in manibus suis, ut cum venerit Dominus (Luc. 12), inveniat eos vigilantes.

Quid lucernae in manibus.

Lucernae ardentes in manibus, opera iustitiae sunt, quorum fundamentum Dominus castitatem esse voluit, dum lumbos in quibus

generandi vis est, prius baltheo castitatis restringi debet. Quod si castitati accesserit rerum fluxarum et inanium contemptus, hoc est voluntaria paupertas, nihil de concupiscentia oculorum, aut avaritiae vitio metuendum, nam aderit illi purus affectus animi, ut nihil praeter molestia appetant. Itaque scuto paupertatis circumdabit eos veritas, ut non timeant a timore nocturno, et negatio perambulante in tenebris, sed mox Dominus protector eorum, exturbabit omnes adversarios, et lemures horrescere faciet, ut non accedat ad illos malum, neque flagellum appropinquet tabernaculis eorum. Postremo si superbia vitae ingruerit, et thronum [248b] suum inter eos collocare voluerit, ad omnem telorum impulsus, humilis obedientia illos teget, adversariosque repellet. Gladium enim suum vibravit, et arcum suum detendit, eos protegat, ne dominetur illis omnis iniustitia. Cum his adversariis carnis et oculorum concupiscentia atque superbia vitae, religiosis conventibus bellum est continuum, et his armis, obedientiae, castitate et paupertate voluntaria sese tuuntur atque vincunt, haud quidem suis viribus, sed Christi imperatoris ope, cuius auspiciis bellum hoc geritur. Apostoli verba sunt (L Cr. 3) : Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.

Triplex rerum temporalium divisio.

Res temporales quae nos non raro a Dei contemplatione et amore abducunt, quaedam sunt, sicut divitiae, partim extra nos, et partim nobis coniunctae, quemadmodum ea quae nobis communione naturae vel affinitate coniuncta sunt, velut parentes, propinqui, cognati; alia autem sunt penitus intra nos, ut propria voluntas, quae permaxime nos a Deo separare possunt. Primo igitur Salvator noster consulit, ut exteriora haec propter bonum conscientiae et divinae charitatis perfectionem relinquamus.

Unde tria vota habeant suam originem, et in quo fundatur.

In hoc consilio fundatur votum paupertatis, ubi Christus inquit : Si vis perfectus esse, vade vende omnia quae habes (Matt. 19) et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelis, et veni sequere me. Secundum vero consilium, videlicet obedientia, vel propriae voluntatis remissio in Evangelio fundatur, ubi scriptum est (Luc. 9) : Qui vult venire post me, tollat crucem suam et sequatur me. Tertium vero consilium, quod est castitatis, fundamentum habet Lucae 18. Sic

enim legis : Nemo enim est, qui relinquit parentes aut filios, aut [250a] uxorem, aut filias propter regnum Dei, et non recipiat multa plura in hoc tempore, et in futuro saeculo vitam aeternam. Item si quis venit ad me (Luc. 14), et non odit patrem suum et matrem, et uxorem et filios, non potest meus esse discipulus. Item de eunuchis infra plenius dicitur. Et in his verbis fundatur votum perpetuae castitatis. Coetus religiosus per haec tria vota seipsos et omnia relinquunt, ne membra sua iam Christo consecrata, hoc est animi corporisque vires posthac non vitiis ad serviendum Diabolo, sed militandum Deo exhiberent. Neque iam Diaboli militarent arbitrio ad patrandam nequitiam qui totos se praestant, ut ex omni vita eorum perspicuum fiat, se omnia cum Christo reliquisse, quae mortis sunt, et iam ad novam se translatos esse. Aequum enim est et nos illi totos militare, cum semel nomina dedimus, et in cuius albo adscripti sumus, nec quicquam habere commercii cum Diabolo et, a quibus iam defecimus, quorumque iugum excussimus, offerentes a quibus nos Deo in holocaustum perpetuum.

De christiana libertate et in quibus consistat.

Sed male quosdam habet, quod ii qui se Monasticae vitae adscribere, etiam perpetuo votorum vinculis se quoque constringant, quasi libertati christianae contrarium. Sed hi oculos habent et non vident, aures habent et non audiunt, et obscuratum est insipiens cor illorum, existimantes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Audi mi frater in Domino, audi quaeso. Christiana libertas in hoc potissimum constat, quod homo votum praestare potest vel non. Id enim in arbitrio suo constitutum est, an velit, an nolit. Deus non praecepit votum fieri, sed reddi (Psalm. 75). Matrimonium quidem nondum contractum, liberum est. Ubi autem contractum fuerit firmum et insolubile est, adeoque necessarium ut citra grande piaculum solvi non possit. Ita et de votis religiosorum. Quando quis, voluntarie et animo deliberato votum emisit et iuramento confirmavit, si non servaverit, requireret illud Dominus Deus de manibus ipsius. Sic enim legimus in Deuteronomio (cap. 23) : Cum votum feceris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requireret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod semel egressum est de labiis tuis observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria volun-

tate et ore tuo locutus es. Fidelis ille servus Domini egrediens et ingrediens in suis canticis inquit : Vovete et reddite Domino Deo vestro (Psalm. 75). Et illud : (Eccli. 5) : Melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere. Displicet illi enim infidelis et stulta promissio. In numeris quoque legimus (cap. 3) : Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum iuramentum suum, sed omne quod promisit, implebit. Mulier similiter quicquid pollicita est et iuravit, opere complebit. Idcirco Ionas propheta (cap. 2) clamat ad Deum : Ego in voce laudis immolo tibi, quaecumque vovi reddam pro salute mea Domino. Constat igitur votum non contra christianam libertatem, sed pro eadem defensione et tuitione. Idipsum scriptura docet, natura dictat, et honestas imperat. Vota quidem redigunt in servitutem, sed Christi; et haec servitus summa est libertas. Unde Apostolus (Rom. 7) : Liberati a peccato, servi facti estis iustitiae et Deo. An nescis, inquit (Rom. 6) cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis eius cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad iustitiam. Cum vero castitatem, paupertatem, et humilem obedientiam, iuxta scripturarum sententias Deo plurimum placere nullus qui ambigit, quis nisi mentis inops, [250a] et sensu communi privatus, has virtutes non ambabus ulnis amplectatur. Extremae clementiae est in medio et perspicuo die commentitiae lumen inquirere. Hi sunt rami aridi in arbore, pastifera membra in corpore, ursus in vinea, asper in segete, lupus inter oves.

De abusibus religiosorum.

Quod vero adversarii omnium hominum deploratissimi homines pacis atque otii perpetui hostes religiosorum mores et abusus taxant, nolo hic in defensionem sumere, cum non solum illi, verum etiam senes cum iunioribus, principes ac populus terrae, denique in unum simul dives et pauper. Hisce maculis conspersi sunt. Hic morbus per omnia impium sumpsit, et toto dominatur in orbe. Neque existimet quis religiosus iustitiam quae ex Deo est, regula, professione, vestitu, caeremoniis, aut habitus varietate conquirere, et finem salutis aeternae in his potissimum collocare. Minime gentium : Neque enim tam stupidi sunt, et tam pingui distenti omaso, quin colorem nigrum ab albo discernere possint. Agnoscimus duplicem iustitiam in homine : agnoverunt et patres nostri priores anachoretae et monachi, qui ante plus mille annos, monasticam vitam summa cum laude gesserunt.

Iustitiam vero soli Christo Iesu tribuimus, quam per fidem amplectimur. De qua et D. Paulus inquit (Phil. 3) : Ut inveniar in illo non habens meam iustitiam, quae ex lege est, sed eam quae ex est. Ex quibus sequitur, quod iustitia, quae ex precioso sanguine et passione Christo effluxit, est quae salvos facit et iustificat. Non enim est aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Unde est illa vox laetitiae in tabernaculis iustorum. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Alia vero iustitia, quam humanam appellamus, et hanc quoque Deus et scriptura a nobis exigit, uti sunt, non furtum committere, non adulterare, et reliqua quae in Decalogo comprehenduntur, quae tamen praeter [251b] fidem ex se non iustificat hominem; sed qui fecerit hoc, vivet in ea. Hoc est poenas transgressoribus infligendas evadet. Nemo quantumvis iustificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putet. Sed iam iustificatus et amicus Dei factus, eundo de virtute ad virtutem, renovatur, ut Apostolus inquit, de die in diem, hoc est, mortificando membra carnis suae, et exhibenda ea arma in sanctificationem per observationem mandatorum Dei, crescit et magis iustificat. Qui iustus est, inquit scriptura, iustificetur adhuc. Itemque : Ne verearis usque ad mortem iustificari. Et rursus : Videtis quum ex operibus iustificatur homo, et non ex fide tantum. Nudum sequamur Christum oportet, contemptis mundi delectationibus, ut stercora. Sed quomodo? Audi D. Paulum (Tit. 2) : Abnegantes, inquit, omnem impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hos saeculo, exspectantes beatam spem et adventum Domini nostri Iesu Christi. Ad hoc corporis castigatio, ieiunium, abstinencia cibi et potus accedit, quae carnem in servitutem redigant, et spiritui subiaceant. Nonne tibi videtur quod ista in monasteriis maiori commodo et fructu adimplere possent, quam in mari magno et spacio huius saeculi, ubi sunt reptilia quorum non est numerus : Hinc D. Bernardus : In vita monastica, inquit, caditur rarius, et surgitur expeditius.

De diversis ordinibus et vestitu in religione.

Rurus nec te moveant adversariorum sannae, quod in monasteriis diversus sit ordo, diversae regulae, et vestimentorum, discolor usus. Nam cuculli itidem et vestes non faciunt monachum, sed pura mens et vita immaculata. Esto, regula, ordo et vestitus sit varius, non itidem animus, nimirum quibus est cor unum et anima una in Deum.

Hunc agnoscunt, colunt, invocant et reverentur, tum hi qui albo, tum hi qui nigro, aut quovis alio teguntur [252a] colore aut pallio. Unam habent fidem, unam spem in Deum, eundem diligunt ex toto corde, ex tota anima, et ex omnibus viribus suis. Proximum sincere prosequuntur amore, et quod sibi ab aliis fieri volunt; e contra hilari animo impartiuntur et eis. Simul comedunt, simul bibunt, ex una vestiuntur cella, nocturne diuque preces communes sunt. Nemo sibi aliquod proprium dicit. Attamen obprobria exprobandum coguntur audire ab his qui oderunt pacem, et quorum os loquitur superbiam. Laudatur hac nostra tempestate ab omnibus Sathanæ ministris, si familia et servi Dominorum saeculi huius pondus caligarum insigne ad talos usque defluentia, vestesque diversis coloribus variatas. Accedit et vestium sectio non absque maxima panni iactura. Sed id coecis oculis praeteritur, imo laudatur ab omnibus, et decorum quisque existimat. Solius Monachi vestitus in peccato est. Dic quaeso cum passim saeculares homines per deliciosas vestes has quibus facile daemones exhorrescere facias, circumferant. Quare non licebit Monacho pro ordinis sui antiquissima observantia et consuetudine, viles et abiectas vestes, quae poenitentiae insignia sunt, libere gestare? In veteri lege saccis et cineribus Deum placare solebant. 3 Reg. 10 et 24; 4 Reg. 19. Nehemiae 9. Hester 4. Iob 16. Psalm. 29. Isaiae 15 et 58. Iohel 1; Ionae 3. Hic mentio fit saccorum. Quae autem alia Monachorum vestium forma, quam sacci, quae olim apud veteres poenitentiae tempore in usu fuit. Valeant igitur qui inter nos discidium quaerunt. Idem fuerit de moribus et abusibus iudicium. Sunt et alii homines mente privati, existimantes monastica vota impossibilia esse, nec ab aliquo religioso praestari posse. Id crediderim facile si humano praesidio solum fulciantur, et non divina gratia cooperante. (Phil. 2). Deus enim in nobis operatur velle et perficere. Est ipse Paulus [252 b] athleta fidelis Christi. Gratia, inquit, Dei sum quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit, sed superabundantius omnibus illis laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum. Idem omnia se posse confitetur in eo qui ipsum confortabat. Certe fidelis est Deus, si in illo omnem nostram fiduciam collocemus, ut non patiat nos tentare supra id quod possemus sustinere. Non diffidamus qui dedit velle, dabit et perficere, in Christo Iesu. Quod si quidam religiosorum lassi, non attigerunt monasticae vitae scopum atque perfectionem; an igitur animus deiciendus est. Nec hoc quidem: An hoc quidem: An in bene coeptis sistendum? Ne id laudem, impediatur.

Numquid qui cecidit, adiciet ut resurgat? Maxime omnium. Stabit autem : potens est enim Deus statuere illum, et fulcire servum suum ne vacillet. Sed iam ad consilia evangelica et vita religiosorum nostrum studium revertatur.

De castitatis voto.

De virginibus, inquit Paulus Apostolus, praeceptum Domini non habeo, consilium autem do, tamquam misericordiam consequutus a Domino (1 Cor. 7), ut sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem et difficultates quae ex coniugio sunt, malaque nuptiarum. Concupiscentia carnis venerisque usus, actum rationis permaxime impedit, absorbet et in nihilum quasi redigit, per vinculum etiam coniugale quamvis licitum; implicatur tamen homo variis mundi curis et desideriis. Apostolo attestante qui ait : Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui sum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est uppote separatus a virginitatis fructu et commodo, et quod per quam difficillime toto ac libero animo Deo adherere potest. Eximia quaedam res perpetua castitas, ob Christi negotium suscepta, ideoque a Christo, qui hanc castitatis virtutem propter regnum coelorum amplectuntur voluntarie [253a] summis laudibus efferuntur. Testis est evangelicus sermo, dum Dominus de divortio inter virum et mulierem cum Phariseis multa disseruisse, et disputatione tandem conclusa (Matt. 19) sic intulit : Quod Deus coniunxit, homini non licet separare. Discipuli id grave et molestum existimantes, suam aliamque interposuere sententiam, in his verbis : Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Respondit illis Iesus : Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Porro ut monstraret praecipue castis regni coelestis haereditatem deberi, subiunxit : Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum Dei, et voluntarios se spadones (ut Tertulliani verbis utar) exhibuerunt, hoc est, qui nubendi libertatem in propositum verterunt castitatis, quo purius expeditiusque Deo servirent, et cum angelis in coelo socii essent, qui angelicam vitam in terra vixissent. De quibus dictum est : Neque nubent neque nubentur (Matt. 22), sed erunt sicut angeli Dei in coelo. Haec castratio spiritualis est, quae in libertate hominis constituta, et ad quem nullus compellitur invitus, nisi voto se voluntarie astrinxerit. Reliquit hoc D. Paulus in arbitrio cuiusque,

ut de hac re quid quisque statuatur, ipse viderat. Castum quidem coniugium est et thorus immaculatus, impuraque virginitas. Laudat Apostolus coelibatum, ut foeliciorem, probat matrimonium ut tutius. Non compellit quemquam, neque vetat, dumtaxat in his quae Dominus non exegit, nec interdixit. Confitetur de virginibus se praeceptum non habere, consilium vero dat, tamquam misericordiam consecutus a Deo ut sit fidelis; et quae gratia Dei consecutus est, dispertiat in alios ut dator consilii et fidelis minister. Dispare sunt corporum atque animorum habitus, idem consilium omnibus dari [253b] non potest, sed suas quisque vires consulat oportet, et ad quod vitae genus, natura maxime sit appositus, id amplectatur. Neminem cogit ad matrimonium, nec vetat matrimonium, sed quid expediat ex suo cuiusque animo perpendendum reliquit, beatior tamen existimans si permanserit secundum ipsius consilium. Apostolo pulchre surrogatur D. Ambrosius cap. 3 epistola prima ad Timotheum, ubi in haec verba scribit : Iure laudatur bona uxor, sed melius pia virgo praefertur, dicente Apostolo : Qui iungit virginem suam benefacit; et qui non iungit melius. Haec enim cogitat, illa quae sunt mundi. Illa coniugalibus vinculis colligata est, haec libera vinculorum. Illa sub lege, ista sub gratia; per mulierem cura succrescit, per virginem salus evenit. Requirit autem haec castitas ut quis consilio deliberato atque constanti ab omni carnis sorde seu venerea voluptate incorruptus vivere studeat, atque vitam coelibem agat continenter, ut sit sancta corpore et spiritu propter Christum. Eoque Apostolus spectans dixit : (I Cor. 7). Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis et hoc iudicavit in corde suo servare virginem suam, bene et recte facit. Etenim ut non est tutum volentem nubere a matrimonio arcere; ita pium non est a castitatis studio votoque labefactare quempiam. Tempus enim breve est, reliquum est ut et qui habent uxores sint tamquam non habentes, et qui utantur hoc mundo, tamquam non utantur, praeterit enim figura huius mundi. Prima sit cura coelestium rerum, postrema vero quos mundanis negotiis, casus, aut necessitas involvit, sic utantur quasi non utantur. [254a]. Non est animus de mulierum modestia quicquam effutire, qua fere omnes scripturarum paginae maculantur, alioquin id unicum remedium produxissem, ubi Salomon ait : Inveni amariorem morte mulierem, quae laqueus venatorum est, et sagena cor eius; vincula sunt manus illius, qui placet Deo, effugiet; qui autem peccator est capietur ab illa. Virum ex mille unum inveni,

mulierem ex omnibus non inveni. Umbras bonorum ac malorum mundus hic habet, in quibus neque est solidum quicquam, nec diuturnum, quibus haerere toto animo non est eorum qui tendunt ad immortalitatem. Summa christianissimi est, ut abnegata impietate et saecularibus desideriis (Tit. 2; Marc. 1; Matt. 3), sobrie et pie vivamus in hoc saeculo, abhorrentes ab omni turpitudinis et vitiorum genere, vitae quoque impuritate fortiter nos totos in Deum extendamus. Innocentia verorum christianorum, virgines casti sunt et pudici sine macula in via Domini ambulamus. De eunuchis in Isaia legimus: (Is. 58). Haec dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint Sabbatum, et quae ego volui, et tenuerint foedus meum, dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Centauri saltu (ut est apud Philostratum in libello de athletis) abstinebant a saltu et aliis deliciis. Iam turpe est si pro bravio vitae aeternae segnius nos geramus, quam vulgus hominum pro vili precio. Cogitemus scriptum esse quod eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum Dei, virgines puto, semper sequantur agnum quocumque ierit. A Christo optimo maximo, quotidie intimis precibus contendamus ut pudicitiae nostrae florem illibitatum conservet [254b] ex toto pectore rogemus Deum, ut a turpissimo libidinis incendio liberet; tum sane Christus, ut est erga pudicos, animo propensissimo in nos efficiet, ut nullo scortationis ardore inflammemur. Sed tum maxime et aliae huius peccati occasiones nobis vitandae sunt, et imprimis otium ut malorum omnium, ita unicum scortationis et libidinis seminarium. Hinc omnes voluptates, contubernium malorum, qui de hoc vitio male audiunt, et si quos est aliud turpitudinis genus. Summa si vis a libidinis vitio alienus esse, cura ut ebrietatis vitium, longe absit; absit luxur et temulantia omnis. Venter enim vino aestuans, facile in libidinem despumat. Nolite ergo inebriari vino, quae ad luxum pertinet, non ad necessitatem. Nota est apostolica sententia (Eph. 2): Hoc scitote, inquit, intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut alio quovis genere libidinis inquinatus, non admittitur ad haereditatem immortalis vitae, quam suis promisit Deus cum Christo communem. Haec poena si lenis vobis videtur, credite iis, qui vobis persuadere conantur haec esse levia peccata. Sed nemo vos seducat huiusmodi inanibus verbis: Siquidem propter talia vitia etiamsi legibus humanis hic non puniuntur, tamen ultio divina in eos saeviet, qui diffusi promissis Dei, in huiusmodi vitiis foelicitatem ponunt. Mortificemus igitur membra,

nostra quae sunt super terram, veluti sunt fornicatio, immunditia, mollities, adulterium, reliquaque genera libidinis foediora, quam ut vel nominari debeant, ne privemur haereditate illa quam repromisit Deus diligentibus se. Salomon cum saecularium rerum concupiscentia teneretur, magnas eas et admirandas putabat, multumque [255a] in eis laboris et sollicitudinis insumebat. At ubi inde ad se reversus, et quasi ex umbrosa quadam abyssu ad lumen vere sapientiae respicere valuit, tunc sublimen illam et coelis dignam emisit vocem. Vanitas vanitatum et omnia vanitas. Hanc et vos et hac sublimiorem si volueritis, efferetis sententiam de intempestiva hac mundi voluptate, si aliquantisper a mala consuetudine vos sequestraveritis. Sed his iam finem faciamus; ad alterum membrum huius materiae, veram paupertatem, ob Christi nomen voluntarie susceptam properantes. Adversarios quoque et virtutis huius munitissimos hostes, scilicet concupiscentiam oculorum, sive avaritiam, suis locis uti dignum esse, a limine salutabimus, eorumque detestabile malum manifestius reddemus.

De paupertatis voto.

Paupertas spiritus radix atque fundamentum totius Evangelici scripti et veri christianissimi est. Haec altum sapere et superbiam mentis, ob vitae modestiam ferre nequit. Paupertatem ad eos potissimum, qui semel relictis omnibus, ut Christum exemplo Petri Apostoli perfecte sequantur, spectare nulli ambiguum est. Qui, enim, inquit Salvator noster (Luc. 14) non renunciaverit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit. Certe si Christi discipuli esse volumus, meminerimus oportet, ut illius sequamur vestigia. Sequi Christum nihil aliud est quam ipsum imitari, ut quemadmodum dum ille ambulavit et nos ambulemus in novitate vitae, deponentes sarcinam divitiarum amplectamur veram paupertatem. Nam Christus ipse pauper ex pauperula matre natus est; non habebat lectum in diversorio; editur [255b] in stabulo, reclinatur in praesepio. In aetate vero adulta discipulos sibi elegit, non e divitum grege, sed pauperum contubernio veluti piscatores, qui relictis omnibus, nudumque secuti sunt Christum. Et quamquam omnia sua reliquissent, nihil tamen illis defuit. Sic enim habet sermo Evangeli-

cus; Quando misi vos sine sacco et pera, numquid aliquid deficit vobis? (Luc. 22). At illi dixerunt: Nihil, Domine. Christus cum terrae marisque et omnium quae sub coeli ambitu continentur Dominus esset, non habuit ubi caput suum reclinaret. Cum persolvendum didragma esset, uterque nec Christus nec ipse Petrus pecuniam in zonis et sacculis habuerint, sed apprehenso pisce ex Christi mandato, invenerunt stateram in ore illius, atque nautum persolverunt. Constat quoque caeteros Apostolos a pecuniis et rerum temporalium usu fuisse alienissimos, sed ad (Mat. 10) apostolatam vocatos, se voluntarie huiusmodi onere exuisse. Salvator noster in cruce nudus pendit, neque syndonem qua mortuus involveretur, neque sepulchrum proprium quo recondideretur habuisse dignoscitur. Aceto potatus est in cruce. A Samaritana aquam non exquisitam, aut vinum petiit; panibus hordeaceis pavit famelicam turbam; quadraginta dierum ieiunio se maceravit et afflixit, et quid non? Credisne haec omnia pro te passum esse, ut tu quoque discas alimento potuque quotidiano contentus esse ieiunio, corpus macerare, et in servitium redigere, ut carnis illecebras, daemonumque tentationes superare et evincere possis. Ideoque paupertatem in tantum coluit, ut suo exemplo doceat terrena contemnere et coelestia meditare, nec fragilibus delectari, sed aeternis et perpetuo mansuris. Quis existimet quaeso, [256a] decorum et splendidum, ut divitias possideat servus, et Dominus paupertatis delectetur augustiis et gaudeat? Quis iniuriam hanc aequo animo ferat? Pudescant igitur religiosi paupertatem professi, pudescant sacerdotes Dei qui sacris altaribus consecrati sunt, pudescant idemque et christiani omnes, qui a Christo nomen salutare acceperunt, Christique servos se profitentur, et gloriantur in divitiis huius mundi, spem suam collocare, divitiis affluere, et carnis curam in desideriis exercere. Studeant mammonae aeternum vale dicere, et in Christo divites fieri. Si non omnes corpore mundum hunc effugiunt, animo tamen per omnia illi renunciari curent, ut mandatorum Dei non solum observatores facti, verum etiam obsistentia quaeque e medio tollant, ut sunt divitiarum onera, et id genus reliqua. Paupertas vero et opulentia non tam in possessione rerum sita sunt quam in affectibus. Consilium de paupertate amplectanda proponitur addita verborum certa formula, quae illud capescentis arbitrio relinquit. Sic enim inquit Dominus (Matt. 19; Marc. 14) Si vis perfectus esse, vade, vende omnia et habebis thesaurum in coelis et veni sequere me. Hic non solum consulit Dominus, verum etiam calcar addere videtur,

ut homines ad consilium hoc amplectendum lubentiores faciat proemii proponit magnitudinem ut illos alliceat et consoletur. Sic enim fore promittit, ut qui omnibus propter Christum relictis pauper est; is habeat thesaurum in coelo, accipiat centuplum, et possideat vitam aeternam; Huiusmodi paupertatis cultores ac professores erant Apostoli, quorum nomine fidenter dixit Petrus (Matt. 19): Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te. Hic accedunt nascentis Ecclesiae christiani, sui vendebant (Act. 2) possessiones suas et pecuniam ex his redactam in communem usum conferebant; ita ut nemo suum aliquid esse diceret, quum [256b] communia apud ipsos manebant. Amplectamur igitur et nos voluntariam paupertatem in Christo, quum paupertati adiuncta est merces in coelo. Abiciamus onera divitiarum, quum vae aeternum imminet divitibus, qui consolationem suam hic habent super terram (Luc. 6). Qui habet aurem audiendi, audiat. Concupiscentiam vero oculorum aut avaritiam, quae certe cum hac excellenti paupertate ex diametro pugnat, idolorum cultum esse ex D. Pauli commentis didicimus. Quorsum igitur attinet in congerendis divitiis esse sollicitum, quae mox aliis relinquere cogimur? Sicut enim harum nihil nobiscum intulimus in hunc mundum nascentes, ita nihil efferemus nobiscum morientes. Etenim quorum animos semel occupavit avaritia sive studium ditescendi, sollicitantur ad multa turpia, et incidunt in laqueum Diaboli et desideria plurima. Non solum stulta, sed etiam perniciosa et nociva. Siquidem cupiditas habendi non venit incommutata, sed ingens malorum agmen secum ducit. Superbiam vitae, violentiam, fraudem, iniuriam, luxum, voluptates, aliasque eius generis pestes, quae demergunt homines in interitum et perditionem. Nihil integre facit, nihil incorrupte, quisquis avaritiam in consilio habet. Radix enim est et seminarium omnium malorum immodica cupiditas, quam appetentes, erraverunt a fide et inseruerunt se doloribus multis, magnis molestiis parantes quod anxia sollicitudine custodiant, quodque si contigit eripi, gravi vulnere sauciet avidum et avarum pectus. Venientur mundum homines lucrum suum, nobis abunde magnis quaestus sit, si pietate, si veris animi bonis ditescamus, his contenti quae ad praesentis vitae necessitatem sufficiunt, videlicet alimentis et quibus tegamur Sint (Tim. 6; Heb. 13) mores nostri sine avaritia contenti praesentibus, Deus non deseret [257a] neque derelinquet nos. Igitur Dominus nos paterne admonens, inquit: Videte et cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est, ex his quae

possidet. Frequenter sub praetextu necessitatis ac providentiae obrepit triste vitium quod semel admissum abducit hominem in omne dedecus et vix vitari poterit, nisi leniter et contemptum possidemus. Abundantia rerum non facit ad foelicitatem, sed potius ad sollicitudinem et contentum eorum, quae vel sola quaerenda sunt. Naturae necessitas exiguo placatur. Avaritia nullis terminis continetur. Avaritia et nimia rerum cupiditas non solum non tribuit proximo egenti, sed etiam aliena quaeque iniuste rapit, nulla copia contenta est, imo eo cupidior, quo plura rapuerit. (Prov. 16) Hinc illa Salomonis sententia. Rapiunt non sua, et semper confidat, sed quo plura inique congerit eo miserabiliorem finem exspectet. Substantia (Prov. 13) festinata minuetur, quae autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur, ut inquit ille parabolarum et aenigmatum magister Salomon. Execranda quorundam avaritia, quae nec foenere abstinere, nec merces adulterare timent, pondere quoque et mensura fallunt, alia statera vendentes, alia ementes, neque eos poenitet aut pudet dolo aut fraudibus uti ut lucrentur. De quibus David meminit, in suis canticis inquiens (Psalm. 61): Vani filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Vanae quidem sunt res omnes humanae, verumtamen plurimi consulunt fluxis rebus, tamquam perennibus, aequitatem despiciunt, inique autem mentis trutinam tenent, et [257b] iustitiam contemnunt, iniustitia gaudent. Attamen nullum fructum hinc reportant; quandoquidem omnia vana sunt, quae velocissimam vicissitudinem suscipiunt. Sed vos o filii hominum, nolite sperare in iniquitate, ne humanam foelicitatem ex iniquitate congestam, amore dignam existimetis, et spes ad vestras domos fluminis instar videntes confluere, nolite illis mentem submittere. Certe crudelis et pestilens haec belua cupida est. Et ni vigilemus abducet nos quocumque voluerit et in suam protrahet massam. Sic semitae omnis avari, animas possidentium rapiunt. Avaritia nihil scelestius est. Ideoque Dominus per prophetam clamant dicens (Prov. 1; Eccli. 10; Is. 51) Propter peccatum avaritiae iratus sum et percussi eum. Quis malorum omnium causas huius avaritiae explicat, homines adversus homines ire compellit, hinc insidiae, hinc latrocinia; hinc bella mutuaeque coedes, dum nostris non contenti, aliena concupiscimus. Hinc inter coniunctissimos dissidia, inter amicissimos lites, et citius adeundae haereditatis gratia, ipsorum parentum desiderare mortes. Unde quidam cecinit poeta: Filius ante diem patrios inquit annos.

Eo progressa est truculenta rabies, insatiabilis bestia, vis et amor

sceleratus habendi, ut numquam impleatur hausta, quantumvis grandi, sed semper sicut Tantulus unda.

O auri sacra fames quid non mortalia pectora cogis?

Quanta tibi plura petisti. Tanto plura petis, et habendis acrius instas. Idipsum divinus ille Salomon exemplo ascendit longe clarissimo, dum inquit: Unus est et secundum non habet, non filius, non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec patiantur oculi eius divitiis, nec [258a] cogitat dicens: (Eccli. 4) Cui laboro et fraudo, animam meam bonis? Huiusmodi hominibus praedictam minatur Domino maledictionem, inquiens (Is. 6): Vae qui coniungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad extremum loci. Numquid habitabitis vos soli in medio terrae: Quid enim nisi solus habitare videtur in terra, qui solus cuncta possidere concupiscit. A minimo usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur. Sed Christus ingressus templum eiecit ementes et vendentes, ostendere volens avaritiam et quaestum fore capitales pestes ecclesiae, quam templum istud figurabat. Itaque si ullo usquam saeculo haec magna habendi cupiditas humanis pectoribus insidet, id nunc quam maxime. Idcirco qui nos paupertatis voto astrinximus, huic adhaerentes simus perpetuo, et beluam hanc, avaritiam dico, procul a nobis abdicare curemus. Quae enim communicatio virtutis cum vitio? Paupertatis cum avaritia? Sed iam ad tertium membrum, quod est humilis obedientia properemus. Cui enim superbia intestinum semper est bellum, nec una sede quiescere, nec stabilem possunt habere domum, sed per omnia vincet veritas.

De obedientiae voto.

Obedientia et humilitas summarium est omnium aliarum virtutum, sine qua reliquae parum, vel nihil acceptae sunt coram summo Deo. Huic se crudeliter opponit superbia vitae, sed nihil perficiet in ea. Qui enim confidit in Domino sicut mons Syon, non commovebitur in aeternum. Obedientiam praestant qui seipsos abnegant, et non cupiditatibus solum, verum ipsis voluntatibus ultro renuntiant, nulla in re sui iuris esse cupientes, alterius potius, quam suo arbitratu vivere satagunt, et quem Christi loco delegerunt, huius quoque voluntatem et imperium libentissime [258b] sequuntur. Huiusmodi fideles et excellentis Christi imitatores, uti veteres ostendunt amatores, Ecclesia semper habuit, et in his delectos probatosque coetus philosophorum

piorum et religiosorum hominum, qui supra vulgi morem et exemplum, abdicatis bonis omnibus, et delitiis carnisque illecebris, ex professo studerent sanctae obedientiae, eo spectantes ut ad Christi obedientiae exemplar, et ad Evangelicae normae perfectionem, sese totos totos sese componerent, meditantes in lege Domini die ac nocte. Cui rei testes perquam idoneos habemus, Basilium, Augustinum, Hieronymum, Benedictum, Cassianum, aliosque innumeros Evangelicae perfectionis professores, et monastici instituti observatores integerrimos. Hoc obedientiae consilium, christianae perfectionis Evangelicae absolutissimum exemplar, non verbo tantum docuit, sed etiam exemplo vitae suae sese nobis commendavit, dum patri obediens extitit, usque ad mortem crucis (Phil. 2; Ioh. 6). Et de seipso perhibet testimonium dicens: Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me, Patris nempe, et eorum quibus subditus esse legitur. Etiam ad sui imitationem nos excitans inquit: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me. (Matt. 16). Scopus praeterea apostolicae praedicationis et doctrinae, erat obedientia fidei in nomine Iesu, ut obediendo veritati, purificarentur fidelium animae per Spiritum S. cum fraterna charitate, quam sequitur gratia Dei vita aeterna. Christus ut nos ad huius virtutis imitationem, pelliceret, aliquando matri et Iosepho respondisse legitur: Nesciebatis quia in his quae Patris ei sunt, oportet me esse. Hoc idem dixit, ut ab eodem obedientiae sumamus exemplum. Deo primum obedientiam, inde parentibus ac magistratui praestemus omne obsequium, quibus et ipse [259a] Evangelista teste, se morigerum exhibuit: Descendens cum eis et erat subditus illis. Quid amplius? Nonne Deus semper exaltavit humiles et superbos mente cordis sui dispersit? Mens animusque superborum quiescere nequit, atque magis semper se erigit. Hinc Dominus in Abdia propheta Idumaeum severe increpat, dum ait: Valde superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrae, exaltantem solium tuum, dicis in corde tuo: quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sydera posueris nidum tuum, inde detraham, dicit Dominus quoque divinus ille succentor David (Psal. 63) meminit inquires: Vidi impium superexaltatum ut cedros Libani, et transivi et ecce non erat, quaesivi eum et non est inventus locus eius. Vidit magnus ille David finem regni Saulis et stragem Absolonis, mortem quoque cum fastu Goliath alienigenae, et praeter hos non paucorum arrogantium et ultimam perniciem. Merito eorum igitur

fodicitatem sterilibus arboribus comparavit. Vanos etiam non solum ipsos verum etiam loca desolationi proxima dicit. Omnis, inquit Salvator, qui se humiliat exaltabitur, et qui se exaltat, humiliabitur. Humilitas et superbia ab invicem disdiapason distant. Superbia ex radice proprii amoris et voluntatis suum originem trahit, et malum omnium malorum pessimum est. Initium enim omnis peccati est superbia, quae Deo et hominibus odibilis est. Quo autem magis hoc pestilens malum devites. Luciferi casus tibi exemplum esto, qui ob superbiae vitium e sublimi coelorum habitaculo deiectus. Illius imitatores sunt altum sapientes et spiritu inflati, qui neque homines vocantur. Et licet omnis iniquitas in malis operibus exercetur ut fiat, superbia omnis malitiae terminos supergrediens, etiam bonis [259b] operibus insidiatur ut pereant, dissequi huius cruentae beluae sunt.

Filii superbiae.

Sui confidentia, inanis gloriae appetitus, aliorum contemptus, suas evomere laudes, neminem sibi pati superiorem, et ne aequalibus quidem se facilem exhibere, praeterea gestus habitusque corporis immodestus, aspera verborum prolatio, erecta cervix, contumax aspectus, oculique sublimes, quos humiliabit Dominus. Id Iesus Syracidi filius (Eccli. 23) filius pertimescens orabat dicens : Domine pater et Deus vitae meae, extollentiam oculorum ne dederis mihi; hoc est, ne permittas ut me superbia superet, et ne aliquando me esse credam supra id quod sum. (Prov. 13) Inter superbos semper iurgia sunt, super humiles et obediens requiescit spiritus Domini. Superbus a nullo se vinci patitur; humilis et vere obediens omnibus se charitatis legibus submittit. Superbus in hoc totus est, ut proximum suis calumniis extenuet atque vilem reddat, seipsum vero extollat. Humilis et confRACTUS corde, proximum aequae lance ut semetipsum amore complectitur, et in oculis suis parvulus est. Superbus virulentiam animi sui in alios effundit, iniuriamque illatam, vindicta retuliat. (!) Humilis obedientia cum sorore sua Charitate omnia communia habet, patiens est, benigna est, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, sed omnia patienter sustinet, dicitque Domino : (Psalm. 108) Opprobria exprobrantium ceciderunt super me, ego autem in iustificationibus tuis exercebor. Locuti sunt adversum me, et oppugnaverunt me sine causa, pro eo ut me diligerent, adversantur mihi, ego

autem orabam, et ad te Domine confugiebam, undique sic oppugnatus. Sed non sic impii, non sic. Nulla enim benigna monitione, nulla magistratus auctoritate, nulla denique legum severitate moventur aut quiescunt. Sed secundum desideria sua [260a] ambulantes progrediuntur, in omnefas nefasque et scelerum molimine se credunt esse pios. Sic Ioab Davidici exercitus ductor non passus est (2 Reg. 20) praefecturae honorem, laudemque militiae cum aliis partiri, et Amasam collegam suum amice alloquens incautum interemit. Nulla itaque scelere abstinere superbia, nec rapinis, nec coedibus parcat. Superbia dum omnes extollere et superare contendit, suis terminis minime contenta esse potest. Alios virium confidentia stimulat, alios rerum prosperitas exagitat, alios audacia longius peccandi usum praestat, qui tandem delictorum assiduitate et conscientiae obcaecatione detenti, neque hominum pudore, neque ullo Dei metu cohibentur. Bene igitur D. Iohannes et hanc beluam serpentinam inter tria mundi mala comprehendit, dum inquit (1 Ioh. 2): Quicquid est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitae. Opere precium nobis est odisse vitia, nam quanto magis ea quis oderit, eo vehementius virtutis bonum e regione positum adma-bit. Fugiamus itidem charissimi et procul a nobis abdicamus superbiae execrabile malum, adhaereamus humili obedientiae, quae facile mater custosque omnium virtutum est. Obedientia sancta nos iugiter exerceamus omnibus diebus, dum spiritus hos reget artus.

Summarie de tribus Evangelicis consiliis.

De praedictis tribus Evangelicis consiliis, hoc summatim dixerim, nimirum quod sint quaedam fidei et pietatis incitamenta, quibus accendimur ad fidem et pietatis exercitia; calescimus ad devotionem, atque infirmis adversus mundi carnisque illecebris arma spiritalia administrant quae bonorum conatus ad meliora provehant, quae spiritum ad praestanda religionis cultusque divini, officia, expeditiorem reddant, et ad praemia illa aeterna a Deo nobis promissa, facilem aditum nobis praebeant. [260b]. Summa Evangelicae perfectionis demum in eo versatur, ut quam possimus maxime et celeriter ad has virtutes contendamus, quae nos in Dei timore pariter et amore conservare possint. Imitemur Christum, qui pauper et virgo Patrique per omnia obediens usque ad mortem, crucis scilicet extitit. Relinquamus mundi cupides, luxuriam, avaritiam atque vitae superbiam.

In illorum loco succedant castitas, paupertas et obedientia humilis. Non desit charitas vinculum perfectionis et legis summa, sine qua manca est omnis virtus, castitas, paupertas, obedientia, denique omnes nostrae iustitiae tanquam pulvis erunt, quem proicit a facie terrae. Foelix ille homo cuius praecordia Christi amor et charitas praeacuto iaculo vulneravit. Charitas sola reddit hominem Deo viventem hostiam et acceptabile sacrificium. Haec veros religiosos, haec monachos facit, sine hac monasteria sunt tartara, habitantes in eis daemones sunt. Haec vero charitas, si adsit, monasteria sunt paradysus malorum punicorum et lilia convallium in terris; degentes in eis angeli sunt. Ideo quamvis longa macerant ieiunia corpus, abiecta vestis deformet, si intus desit charitas, ad infimum religionis gradum nondum perventum est. Nulla profecto vita deterior, quam corpore simul cohabitare et non mente. Unus debet esse effectus, una voluntas, una concordia morum, ne quod uni placet, alteri displiceat, vel in quo unus gaudet, alter contristetur. Si ita vitam direxerimus, placebit Deo Optimo Maximo nostra conversatio, is enim habitare facit unius moris in domo, erimusque primitivae Ecclesiae sectatores exactissimi, in qua multitudinis credentium erat cor unum et anima una, et erant eis omnia communia (Act. 4). Idipsum per Ieremiam prophetam Dominus praenunciavit futurum dicens: [261a]: Dabo eis (Ier. 34) cor unum et animam unam, ut timeant me universis diebus et bene sit eis, et filiis eorum, pax est eis, et faciam eis pactum sempiternum et non desinam eis benefacere. O sanctum collegium! O coelestis piorum hominum congregatio qui in carne constituti, extra carnem vivunt, meditantes in lege Domini die ac nocte.

Hortor igitur et obsecro vos, mihi in Christo dilectissimi, filii et fratres qui iam ad susceptam professionem mortui estis, consepulti cum Christo, ut tamquam peregrini et advenae abstinentes vos a carnalibus desideriis, quae militant adversus animam, omnem fiduciam vestram proicientes in Deum, qui ipsi cura est de vobis. Hic scitote quod nullus potest simul duobus dominis servire, aut unum odiet, et alterum diligit, (Luc. 16), aut uni adhaerebit, et alterum contemnet. Si mundo et eius desideriis inservire vultis, nulla vobis in Christo salus. Si vero mundi cupidinibus renunciantes Deo coniungamini, merces vos copiosa manet in coelo. Non potestis simul mundo et Dei servire, uni renuntietis oportet. Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? (Coll. 3; 1 Cor. 10). Quae autem conventio Christo cum Belial? Omne igitur quodcumque facitis in verbo et opere in

nomine Domini nostri Iesu Christi facite. Sive igitur manducatis, sive bibitis, aut aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, et curate ut sine offensione ambulantes in domo Dei, habentes cor unum et animam unam in Deo placentes omnibus in bonum, quemadmodum et Paulus Apostolus per omnia placuit, non quaerens quod sibi utile esset, sed quod multis, ut salvi fierent. (1 Cor. 16; 1 Cor. 10). Fratres mei charissimi, gaudium meum et corona gloriae meae, vigilate, state in fide, viriliter agite et confortamini, omnia vestra in charitate fiant. Dum vero existimatis vos stare, tum maxime vigilia et sollicitudine opus esse, ne cadatis [261b]. Qui enim stare se cadat. Sic autem state ut sitis perfecti ac pleni in charitate, omni sapientia, prudentia et voluntate Domini. Pernitiosa res est de proposito vitae honestioris deciscere, et ad voluptatem reverti. De bono malum fueri, et de iusto iniustum, de innocente peccatorem. Melius illis erat (ut D. Petrus verbis utar) (2 Petr. 2) viam veritatis non agnoscere, quam post agnitionem retrorsum converti a sancto mandato quod datum est illis. Hoc ex magna parte datur errori, datur ignorantiae. At qui agnita via veritatis aufugerint ab inquinamentis huius mundi ac vitam puram coelestemque professi sunt, si rursus superati cupiditate, involvantur pristinis sordibus, iis non solum opitulatur prior vita, verum etiam peiore in statu sunt, quam fuerunt antequam coelestem illam et puram vitam amplexi fuerint. Hac etiam de causa propheta sententiam Domini infert, dicens : (Ezech. 18) Si averterit se iustus a iustitia et fecerit iniquitatem, secundum omnes abominationes quas operare solet impius, numquid vivet? Omnes iustitiae eius quas fecit non erunt in memoria, in praevaricatione sua quas operare solet impius, numquid vivet? Omnes iustitiae eius quas fecit non erunt in memoria, in praevaricatione sua qua praevaricatus est, et in peccato suo quo peccavit, in ipsis morietur. Qui enim transgreditur a iustitia ad peccatum, Deus paravit illum ad rumpheam, id est vindicatam. Nemo, inquit (Ezech. 26) Salvator, mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei. (Luc. 9). Nec putetis si ad peccatum relapsi fueritis illi adhaerentes, quod vobis parcat Deus, quia misericors est.

De superbia vitae.

Id certe crediderim minime. Si enim Lucifero suis consortibus qui elatione animi ductus, similis esse voluit Altissimo, non pepercit, nec

tibi parcet, o terra, pulvis et cinis. Quid Iuda foelicius, qui potestatem accepit morbos curandi et daemones effugandi [262a]; Domini quoque economus extitit, sacculum et peram portavit.

De avaritiae peste.

Sed haec nihil profuere, quando avaritiae veneno inebriatus Dominum suum pientissimum simul et misericordissimum Iudaeis vendidit, et excruciantum tradidit atque necandum. Ipse vero mercedem sui laboris adeptus, vitae finem suffocatione peregit, aeternis ignibus cruciandus. (Hebr. 13; Num. 25). Nota est e Numerorum historia, populi Israhelis fornicatio cum filiabus Moab, quam ob causam viginti quatuor millia de populo occisi sunt, nec cassavit plaga donec Phinees Eleazari filius, Zambri cum scorto Madianitide ob idem turpissimum fornicationis delictum, ambos simul perfodit, virum scilicet et mulierem in locis genitalibus. Hinc quam sit abominabile luxuriae peccatum quilibet facile colligi potest. Dic quaeso utrum detestabilius, nudum ambulare, aut stupra vel adulteria committere? Nemo dubitat, quin illo hoc peius, et tamen sponte audet nemo nudus ambulare ignominiam veritus. Supra vero et adulteria committere, audent omnes, nec audent modo, verum etiam exoptant, et de his quoque de suis conviviis gloriantur et exultant. Certe fornicari, adulterare, criminari in bonum virum minime cadunt. Sed haec mundus ut reliqua eiusdem generis mala summo studio colit. Contra quos Apostolus invehitur, inquires (1 Cor. 6): Nescitis quod corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membrum Christi, faciam membra meretricis? Absit. (Hebr. 13; Eph. 5). Fornicatores et adulteros iudicabit Dominus. Et alibi: Hoc scitote intelligentes quod omnis fornicator aut immundus non habet haereditatem in regno Christi. Nolite igitur seduci: Neque fornicarii neque adulteri, neque molles, neque masculorum [262b] concubitores regnum Dei possidebunt. Gravis sententia, sed graviora manent supplicia. Hortor vos igitur in Domino mihi charissimi fratres, si quando mens humana noxias pestilentes et luxuriosas concipit cogitationes, mox in ipso semine curetis elidere, nec sinatis Babilonis parvulos inter vos excrecere, neque cum eis amicitias iungatis (Ex. 34), quae sint vobis in ruinam. Filii enim fornicationis sunt et spurii, mater eorum adultera, quae cum multis amatoribus suis fornicata est. Postpositis his eligite quae meliora sunt, et ad quam vivendi normam semel animum appli-

cuistis, in ea permaneatis, fortique animo cuncta, etiamsi videantur atrocia nimis et acerba portetis. Obedientiae iugo colla submittentes, alterius voluntati potius obtemperetis, quam sequi vestram. Pauperiem colatis, nihil proprium habentes, neque optantes quidem : sola virtute ditescere, non extrema sit vobis cura. Carnis petulantiam et libidinum faces ieiuniis frangatis; verberibusque coerceatis, ut bonus fructus bona arbor adferat. Omnis enim arbor quae non facit fructum bonum (Matt. 3), excidetur et in ignem mittetur. Sententia haec cunctis mortalibus metuenda est, imprimis tamen capitali et pestifero generi hominum qui gaudent cum malefecerint et exultant in rebus pessimis. Si in ignem mittetur sterilitas, quid sibi sperat rapacitas? Si sic ardent desides, qui nullum fructum attulerint mortalibus, quid de his qui proximis damnum et pauperiem per fraudes intulerunt? Si maledicti vocabuntur in extremo iudicii die, qui esurientes non aluerint, qua asperitate notabuntur, qui maleficio ipsi et scelere pascuntur. Si in aeternum ignem ire iubentur, qui nudum non vestierant [263a] quomodo qui vestitum nudaverunt excipientur. Quod hoc temporis momento humanae societatis iura, divinaque simul et leges omnes violare, haec postodum omnia ex ommimoda divitiarum admiratione nascuntur. O nimis stultam cupiditatem. O nimis aerem nimisque violentam, quae possessorem suum in extrema detrudit tartara. Laudandi mihi omnino videntur antiquissimi illi sapientes, quae saeculi abdicationis viam, nullius antea vestigiis impressam, caeteris aperuerunt. Fugiamus dilectissimi hic saeculum, plusquam pestilens, cum suis concupiscentiis; nam in maligno positus est. Dic quaeso quid non nocentissimum habet hic mundus? Hic morbi sectiones et calumniae, hic invidia, hic odium, et desperationes, quotidianae sollicitudines, hic innumerabiles insidiae perpetuaeque mala ex omni parte afferentia. Ait quidam ex his qui aures hominum carmine demulcent :

Qui legitis flores et humi nascentia fraga
Frigidus non pueri fugite, hinc latet angius in herba.

Fugiamus mundum, eamus cum Christo in locum desertum, Iohannemque Baptistam, ac caeteros haeremi cultores, non solum corpore : verum etiam mente sectemur. Fugiamus antiqui serpentis versutias, contineamus fabulatricem linguam, veluti labile membrum, a malo, et labia nostra ne loquantur dolum et iniquitatem. Procul absit odium, absit invidia, dolor atque discordia mentium longe exulent. Denique ab omni specie mali animum revocemus, facientes bonum, inquiramus pacem et persequamur eam. Haec est enim summa bono-

rum omnium. Quum oculi Domini super iustos, et aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala, ut disperdat de terra memoriam. Deus imprimis ab hominibus piis requirit ut mansuetudinem [263b] et lenitatem colant, et quantum in ipsis cum omnibus hominibus pacem habere studeant. Summa itaque diligentia vestiganda est via et ratio quomodo possimus hunc dulcissimum pietatis fructum atqui thesaurum incomparabilem apprehendere; deinde non minore studio contendendum et ut apprehendamus, illud est pacem quaerere, hoc est ipsum persequi. Sed cum omnia cogitatione animoque lustremus, uno dumtaxat ratio invenire potest, huiusce divini boni consequendi, videlicet divitias, honorem, vitam et humana omnia contemnamus, nosque servitutem Deo pie sancteque dicemus, atque illius tutelaque contenti, reliqua libenti animo facile concedamus. Tunc dubio procul oculus Domini super nos, et cum a Deo quae fecerimus bona, preces nostrae obtinebunt. E contra vero eos qui neque cum Deo, neque cum proximo, neque secum ipsis pacem habere possunt, aspiciet quidem Deus, sed vultu suo in iram converso, hoc est severe aspiciet, mortis sententiam super eos pronunciando, ut memoriam illorum de terra viventium tollat penitusque eradicet. Facies in scripturis sacris in bonum, vultus vero in malum plerumque accipitur. Colamus igitur pacem, colamus et christianam paupertatem ab omni caducarum rerum alieni, ipsa enim pacis nutrix est et seminarium. Colamus et obedientiam in Christo sine cordis simulatione. Accedat et castitatis ornamentum: hi enim sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt (Apoc. 14) et sequuntur agnum quocumque ierit. Si in his animus noster totus fuerit, neque carnis neque oculorum concupiscentia, neque superbia vitae quicquam iuris in nos obtinere poterunt. Sed nunc lassi, pedem figamus. Quaeso te igitur mi Domine Deus creator et redemptor clementissime misere super peccatore, et misericordia tua subuequatur me omnibus diebus vitae meae, ut tandem inhabitem in domo Domini in longitudine dierum, navigiumque nostrum [264a] ad tranquillum portum omnisque perturbationis expertem tua pietate deducere digneris, ubi naufragium nec ullam aminae deiectionem aut dolorem metuere possit. Tibi ipsi gloria, honor et imperium, una cum Filio tuo Unigenito et Spiritu Sancto in omnia saeculorum saecula. Amen.

Finis.

(Scripsit 1575. Decoll. Ioan. Bapt.

Scriptus per F. Hermannum a Noerwich.)